


| | PAG. |
|---|------|
| cina, in navi militari, sicerae ² (I.) | 126 |
|), nonaginta in hora passuum emetiens, resarcit machinam (I.) | 127 |
| um de militibus Americanis iudi- <i>I. Tasset</i>) | 145 |
| pellatoris aërii vita (<i>I. Tasset</i>) | 162 |
| num societate (<i>I. Tasset</i>). | 174 |
| nonporis hora (Iosfor). | |
| s - De horis | 16 |
| mores | 17 |
| esimale tempus | 30 |
| de abstinentia et iejunio | 31 |
| ne vestes | 48 |
| nae vestes, Vestis subserica, [Ra- Damascum, Villutum, Textilia, Ful- ars, Attalicae et Phrygianae vestes | 49 |
| is | 63 |
| ullis ludorum generibus (Talus, | |
| is, Alea, Chartae lusoriae, Par- | |
| Digitis sortiri, Micare, [Calculi) 79-80 | |
| n periculum | 95 |
| a | 113 |
| catapulta | 113 |
| rgumenta | 130 |
| aleri origo | 130 |
| ntes | 148 |
| nis remedium | 148 |
| cui ab « influentia » vulgo nomen | 166 |
| tis praesagia | 166 |
| m ritus apud vetere populos | 182 |
| . 17, 31, 49, 64, 81, 131, 149, 167, 183 | |
| a 17, 31, 49, 64, 81, 96, 113 | |
| 131, 149, 167, 183 | |
| natographo (<i>I. B. Francesia</i>) | 20 |
| s (<i>C. Buccaldius</i>) | 25 |
| lino » (<i>A. Fulconis</i>) | 73 |
| genaria Salesianorum sollemnia <i>Francesia</i>) | 90 |
| bo oculi sensum amisit Franciscus | |
| sistio (<i>Fr. X. Reuss</i>) | 109 |
| nando Foch (<i>I. B. Francesia</i>) | 155 |
| Agrippae apolodus insigniter com- is (<i>Subalpinus</i>) | 160 |
| Nova. | |
| us in profundo mari navigantibus | |
| rnari) 58, 123, 140 | |
| e pneumaticae | 59 |
| on-Taxametron (<i>Forfex</i>) | 106 |
| rnis machinis bellicis, quae vulgo | |
| appellantur (<i>I. Fornari</i>) | 177 |

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exteris civitates:

Alba, Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Aquila, Arezzo, Avezzano Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bari, Bengasi (in Cyrenaica), Bre cia, CAIRO (in Aegypto), Can ile Canelli, Carrù, Castelnuovo di Garganana, Centrallo, Città di Castello, Cortona, COSTANTINOPOLI, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossana, Frascati, Frosinone, GENOVA, Grosseto, Lión, Luca, MALTA, MILANO, Mondovi, Monsampietr'angeli, Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI, Pinerolo, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a)* iuxta quotidianas computationes; easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciate duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore convenientem est; *b)* computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2%, si mensium duodecim; *c)* parsimoniae fovendae sub specie, annuo fructu 3.60%, cum facultate quotidie deferendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a)* prescriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argenteria res publice agatur; *b)* mutuationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c)* in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d)* litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e)* exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f)* fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; *g)* res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.



TORQUATI TASSI

HIEROSOLYMA LIBERATA

A IOSEPHO TORALDO

OLIM E CONGR. SS. RED. ET CANONICO HONOR. TROPIEN.

E VERSIBUS ITALICIS IN LATINOS CONVERSA

ET A FELICE TORALDO, MARCHIONE,

IOSEPHI NEPOTE, EDITA

Volumen pag. 389 nitido pulcroque charactere impressum

Venit libell. ital. 6

apud eumdem Editorem (TROPEA [Catanzaro - Italia])

Premium annu
march. 10
FORNARI

Paucis
iis, qui inte
non modo i
labore valu
quin quum
quatae, nos a
turi? Pro c
rerum ordin
vi iuris atq
fratres unive
sese intellig
loqua est c
indictum et
Septentriona
tem, nomine
gua eum salt
« si tempus c
ritus; qui in
videtur ». Li
clarissimi illi
« Lux, quae i
eam si perdid
quendi in nob
maior spei fid

o Romae in propriis aedibus
(Piazza S. Marcello)

n apud exterias civitates:

ezzo, Avezzano Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Aegypto), Canile, Canelli, Carrù, Castelnuovo di Gar-
NOPOLI, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano,
MALTA, MILANO, Mondovi, Monsampietrangeli, Mont-
i, Pinerolo, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Tar-
, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

E RATIONES ET NEGOTIA.

depositi nomine accipit: a) iuxta quotidianas 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro m est; b) computationibus pariter quotidianis, erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duofructu 3.60 %, cum facultate quotidie defefitidie lib. 300. De maiore vero summa mand dies septem usque ad lib. 5000; ad dies ultra.

prescriptiones compensat duarum personamenses tres solvendas; idque pro omnibus agrestium ad formam, iuxta italicam legem ana provincia requirentibus subvenit; c) in eportat sub praesidio fundorum publicorum, triae privatae; d) litteras emititt ex credito gentium maxima aguntur; e) exteros numciarias res in custodiā accipit, pro iisque ppediat; g) res administrat tum consociaensae Nummariae sunt.

TASSI

LIBERATA

ORALDO

ONICO HONOR. TROPIEN.

TINOS CONVERSA

MARCHIONE,

EDITA

charactere impressum


l. 6

[Catanzaro - Italia])

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.*



“ ALMA ROMA „
IN ANNUM MCMXIX

Paucis rem absolvemus. Non enim multis verbis aut promissis opus est iis, qui inter scopulos et saxa, in horrida ac diutina tempestate, ratem suam non modo incolumem servarunt, sed et per illam viam dirigere magno cum labore valuere, quae optatum portum monstraret. Ecquis autem dubitaverit, quin quum tranquilla ac serena lux redierit ac tumentes undae fuerint exaequatae, nos alacriore mente, atque spiritu magis prompto in itinere simus perstatur? Pro certo namque habemus in magno novoque, qui proxime nascetur, rerum ordine, dum nationum illa societas orietur, cuius erit brutae armorum vi iuris atque caritatis virtutem sufficere; in magna hac populorum familia, fratres universi orbis quasi necessario animi sensu ad unicum illum, ut mutuo sese intelligent, sermonis usum verti debere, quem communis Alma Mater loquuta est et loquitur adhuc. Nonne hisce ipsis diebus factum esse vidimus, indicium et monitum insigne, doctores omnes, qui Woodrovium Wilson, Septemtrionalis Americae Civitatum Foederatarum Praesidem, Romae hospitem, nomine sui cuiusque Italici athenaei laurea decorarent, nonnisi latina lingua eum salutasse? Scilicet, ut Wilsonus ipse in Capitolio sollemniter asseruit, « si tempus omnia mutavit, unum immutatum per saecula mansit, Romae spiritus; qui in unoquoque aevo rationes cuiusvis aevi proprias sibi arripuisse videtur ». Liceat inde nobis trahere auspiciū felix et augurium, liceatque clarissimi illius viri alia verba ex eadem oratione usurpare nostraque facere: « Lux, quae iam in summo fulgebat, nunc sub pedibus nostris fulgens appetet; eam si perdiderimus, fidem et animum perdiderimus; potestas enim eam assequendi in nobis est. Atqui nullum videtur exstitisse tempus, in quo, uti nunc, maior spei fideique afflatus mentes animosque hominum pervaserit ».

Optime quidem; hac enim spe fideque erecti nos opus nostrum intrepide persequemur. Erit igitur in nostris paginis restitutionis latinae linguae tamquam omnibus gentibus universae et communis, si nunquam non fuit, propositum hoc anno summum; ad quod adaequandum theorica scripta intensius profecto edemus, at experimento magis colligere studebimus - in argumentis praesertim quae de communibus vitae sint, novaque cum veteribus comparant - linguam ipsam amplissimam semper, divitem, nobilem, praestantem ad omnia etiam nunc exprimenda optime mireque apparere. Ad eam praeterea alicere et nutantes, et non nimis firmos, et iuniores studiosius conabimur: historiis itaque, dialogis aliisque tenui stylo pro iis exaratis praecepta addemus, quibus facilius ipsis iter sternatur. Quid plura? Nos gratos iam nunc profitemur iis, qui perficiendo nostro commentario in communem utilitatem consilia prudentiae suae nobis suggerant.

Atvero cum consiliis opem a singulis invocamus, qua non minus indigemus. Sit igitur sociis omnibus propositum novos in gregem nostrum comites adducere. Ad quem finem rogationem iam alias, nec sine successu, delatam iteramus, nempe ut quisque unum virum, quem inter amicos invenire haud difficile habuerit, subnotatorem novum nobis procuret: fuerit enim sic numerus sociorum brevi ac sine labore geminatus. Illud praeterea vehementer commendamus, *socii pretium subnotationis suae solvere ne remoren*tur.

Ne denique ambigua circa consociationem intercidant, hae leges iam pri dem a nobis positae in mentem revocentur:

1) *Consociatio post annum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit* - (quod nullo impedio facere poterat, siquidem quae a publico cursore tradita recusantur, gratuito ea ad mittentem restituuntur) - *tamquam socius valide reputabitur.*

Consociatio autem nostra, uti constat, bifariam distribuitur, Patronorum nempe et Sociorum.

PATRONUS est qui sumمام saltem italicarum libellarum centum quotannis *Almae Romae* commentario elargiendam sibi sumpserit; eique ius fit exemplaria aliquot gratuito attribuendi totidem personis a se designandis.

Socius sive simplex, quemadmodum vulgo dicitur, est, sive *bene meritus*. Alter in singulos annos solvit, si in Italia libell. 9; extra Italiam ubique libell. 12 (dollar. 2,40; scell. 10; peset. 12; rubl. 4 $\frac{1}{2}$, etc.). In ordine altero ii recensentur, qui libell. 25, aut externae pecuniae iis aequantem summam obtulerint.

Omnes insuper socios, et veteres et recentes, admonitos volumus, apud Administratorem nostrum acquirere sese posse tum Milesias lepidas fabulas latine descriptas, scenis apud ephebea facile agendis, *Fridianum* et *Francisculi prandium*, ambas pretio libell. 1,50; tum Herminii Iacobelli opus cui titulus *In campo latinitatis novi flores*, recentiorum rerum lexicon parvum itemque utilissimum, pretio libell. pariter 1,50 si tegumento solutum; libell. 2,25 si xyлина structura aureoque titulo eleganter ita contextum, ut optime memoriae ergo atque donationis praemiique gratia offerri possit.

ANNO MCMXVIII EXEUNTE...

Quemadmodum, praeteritis temporibus, nullum memoratur bellum quod, sive exercituum numero, sive armorum copia et potentia, sive caedium ruinarumque amplitudine conferri possit cum immani, cuius per quadriennium et amplius testes fuimus, tot populorum conflictatione; ita etiam, positis tandem armis, non apparuit unquam tam vasta tamque profunda rerum omnium atque institutorum transmutatio. Paucorum enim dierum spatio, nutare et corruere vidimus duo potentissima imperia; vidimus horum Caesares, ceterosque dynastas aut sponte auctoritatem abdicantes, aut vi in exsilium actos; vidimus leges avitas funditus abolitas, regiam administrationem in popularem conversam, quin etiam dominatione quavis vacantem, dum inter se tot contendunt factiones, quot existunt civium ordinis, quot gentes stirpe vel lingua diversae. Apud quas, periculum est ne luctuosum reviviscat exemplum colossici imperii Russici, ubi conturbata, discerpta et convulsa cernimus omnia, et sempiternum quasi horrorem inhabitare, quem beatus Iob tam atris describit coloribus.

Quantus eheu! labor inde orietur scriptori historico, qui tot eversiones tamque subitas enarrare voluerit! Quantus philosopho, qui earum causas indagare tentaverit! Quantus geographo, qui novam Europae orbisque universi formam delineabit! Quantus denique iuris studioso, qui recensere statuerit atrocia vulnera, quae per hoc calamitosum quadriennum iustitiae, cultui atque humanitati illata fuerunt!

* *

Horum omnium eventuum quisquis intimas causas exquirere et secuturos effectus praenuntiare conabitur, saepe pro-

fecto inter tenebras ambulabit animumque despondebit, si, excluso divinae Providentiae influxu, humanam tantum consuluerit rationem. Deus enim, cuius in dicione sunt universa, uti singulos homines, ita quoque nationes, et quidquid ab ipso creatum est, nutu suo dirigit, perque vias mortalibus plerumque incognitas. Finis ad quem cuncta potenter ac sapienter agit, ipsius gloria est hominumque salus. Huc autem tendunt et prosperae res et adversae, et ea quae nos bona dicimus, et ea quae mala esse arbitramur. Noster enim intellectus, utpote caecutiens, saepius decipitur, reputans esse malum, quod nobis vere prodest, et veram ac sempiternam felicitatem procurat. Sic etiam in rerum natura frigoris rigor, quo aliquando dolemus, et sol torridus, quo urimur, inter genuina bona haberi debent, quum prior nocuos plantis interimat vermes, alter vero fructus ad maturitatem perducat. Itaque si corruere videmus instituta ingenio humano excogitata, si imperia militum legionibus stipata, haec nos altam hanc ac salutarem docebunt veritatem: vana esse et caduca quae terra gignit, fugacem esse gloriam, potentiam, opulentiam, voluntatem huius aevi; nihilque inter genuina bona recensemendum esse, nisi quod perenne sit aut ad perennem beatamque vitam conducat: virtutem nempe, et actam ad Dei beneplacitum vitam.

Quae nunc per orbem spirat aura, favet equidem regimini populari, quod hodie passim nomen obtinet *democratiae*. Haec autem forma rem publicam regendi suapte natura haud dicenda est mala et improba; modo iustitiam colat ac religionem. Indicia vero non pauca produnt, inter eos qui nunc popularibus hisce motibus et studiis praesunt, reperiri plures quos religionis modica aut nulla sollicitos tenet cura. Quae cura si in novis condendis civitatibus abfuerit; aut, quod peius est, si forte religio in eis fuerit vexata,

nullum erit calamitatum genus quod iure non sit formidandum.

Tantum avertat malum misericors Deus! Populi autem novique eorum rectores, si veram pacem sitiant, si cum spe aeternae felicitatis, in hac etiam vita tranquilli et felices esse velint, vocem audiant ex Aedibus Vaticanis toties emissam, qua edocentur cum honesta libertate caritatem sociari debere fraternalm et christianam, Deoque esse serviendum per religionis officia rite observata.

F. X. R.



De Christi nati scientia¹

Vindicata iam scientia beata in Christo, superest ut inquiramus de illius extensione, quae omnem ignorantiam prorsus excludat.

Exorsus est saeculo vi error *Agnoetarum*, qui, duce Themistio, diacono Alexandrino, Christum exhibebant ceu compositum quoddam ex divinitate et humanitate mixtum, secundum carnem quidem corruptioni subiectum, secundum intellectum vero ignorantiae illi obnoxium, quae est humanae naturae communis. Quem error scriptis confutavit Eulogius, Alexandrinus Patriarcha; damnavit autem S. Gregorius Magnus, Papa, totam quaestionem ita absolvendo: Potuit anima Christi iuxta vires mere naturales aliquid ignorare, sed per vires supernaturales, quas ob uniuersum cum Verbo suscepit, omnia prorsus novit, etiam iudicii diem.²

S. Gregorii vestigia premunt ceteri scriptores ecclesiastici, ut S. Ioannes Damascenus, Venerabilis Beda, S. Ansel-

mus.³ – S. Thomas autem omniscientiam animae Christi et realem progressum optime componit, adhibito discrimine scientiae beatae et scientiae acquisitae; confiteretur animam illam in scientia acquisita et secundum aliquem modum sciendi realiter profecisse, et in scientia beata et quoad numerum scitorum ab initio perfectam exstisset.

Disputant quidem plures scholastici utrum anima Christi in Verbo omnia noviter actu et simul, an vero habitu et successive, aut per reflexionem quandam;² at aliunde in eo concordant, ut excludant a Christo omnem ignorantiam, praesertim circa iudicii diem.

Verum *Protestantes* Agnoetarum errorum novo apparatu suscitarunt; nam, iuxta Calvinum, cui consentiunt Bucerus ac Theodorus de Beza, Christus voluit propter nos veram subire ignorantiam, sicut et passionem. Imo contendunt recentiores *Liberales* Christum nonnisi paullatim plenum suae divinae missionis conceptum acquisivisse.

Recensendi sunt etiam nonnulli scriptores catholici, ut Hermes et Guenther, qui volunt Christum non fuisse semper suae divinitatis conscientiam, sed per viam meriti ad beatam pertigisse visionem.

Ex placitis DD. Bougaud, Christus, quo similior nobis fieret, voluit quaedam ignorare nec offici sui conscientiam plene est consequutus, nisi in deserto; die autem Transfigurationis Deum clarius vidiit, sed solum post Ascensionem visione beata permanenti fruitus est.³ Auctor tamen, ceterum de Christo et Ecclesia meritus, sen-

¹ IOANN. DAMASC., *De Haeres*, 85, et 111, *de Fid. Orthodox.*, c. XXII; P. G., XCIV, 756, 1088; BEDA, *In Marc.*, IV, 13; P. L., CLXII, 413.

² De his omnibus consuli possunt SALMANTICENSES, Disp. XVIII, dub. II, n. 24, 32, 37, 46.

³ Cf. Mgr BOUGAUD, *Le Christianisme et les temps présents*, t. III, ch. XII, n. 5 ss.

¹ Cf. fasc. mens. Dec. MCMXVIII.

² S. GREGOR. M., *Epist. XXXV et XXXIX*; P. L., LXXIV, 1091, ss.

tentiam postmodum cognovit erroneam et expungendam iussit.

Schell, in Germania, opinionem similem tuetur, quatenus potuisset Christus ab initio absolutam suscipere scientiam, sed voluerit proprio marte acquirere, sicut voluit corpus paullatim augeri.¹

Recentissime tandem plures catholici scriptis docuerunt posse tribui Christo, inter homines degenti, quandam ignorantiam, quae tamen esset voluntarie suscepta et omni errore immunis.

Loisy porro et rationalistae, non solum ignorantiam, sed et errorem Christo adscribunt, praesertim circa *parusiam*, quasi ille existimasset proximum esse mundi exitum, nec praevidisset tantam fore Ecclesiae suaे fortunam. Hinc blasphemando contendunt praesentem Ecclesiam esse praeter Christi intentum, imo ab eius mente alienam.

Doctrina autem catholica est, ad fidei depositum pertinens, scientiam Christi humanae esse proprie *infallibilem*. Potuit quidem Verbum divinum corporales infirmitates assumere, eo quod merito inseruant et finem redemptionis promoveant; at nequit malum morale suscipere, sive ex parte intellectus errando, sive ex parte voluntatis peccando. Quapropter adscribere animae Christi errorem vel peccatum esset aut inficiari divinitatem Verbi; aut veritatem Incarnationis, indirecte saltem, impetrare. Hinc propositio damnata a S. Officio, in decreto *Lamentabili*, 3 Iulii 1907: «Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia *infallibili* Christi».²

*

Nec ullam posse Christo tribui ignorantiam certissime evincunt et traditio theologica et catholicus sensus.

¹ De theoriis SCHELL cfr. L. JANSSENS, t. IV, p. 418.

² Propos. XXXII.

Tanta est scholasticorum consensio, ut Salmantenses «catholicam sententiam» dicant, quae universalem scientiam animae Christi, etiam circa iudicium diem et horam, tuetur.¹

Concedimus ultro nonnullorum Patrum effata interdum obscuritate non carere. Hinc plures critici recentiores autemarunt nonnullos saltem ex scriptoribus ecclesiasticis ante saeculum v, ut Irenaeum, Athanasium, Gregorium Nyssenum, Cyrillum Alexandrinum, Theodoretum, Ambrosium, Fulgentium, admisisse realem in Christo ignorantiam circa quaedam obiecta.

Animadvertisunt tamen plures, cum PETAVIO,² Patres illos, qui omniscientiam Verbi contra Arianos praesertim propugnabant, ignorantiam in anima per modum potius concessionis quam assertionis ponere: dato nempe quaedam Christum latere, id fuit secundum carnem seu naturam humanam tantum, nec ullatenus Verbum afficiebat.

Verum Patrum verba esse alio et legitimos sensu intelligenda iam tradebat S. Gregorius Magnus: Christum scilicet per solas naturae vires ignorasse quaedam, sed omnia novisse supernaturali lumine, seu ratione divinitatis, quae universalem notitiam ad humanitatem sibi coniunctissimam refudit ac derivavit.³ Quam interpretationem tuentur etiam hodie eruditissimi viri, tum quia id commodi habet ut Patres ab omni erroris specie vindicet, tum quia iidem Patres in aliis locis aperte confiteantur nihil omnino latere Christum.⁴

¹ SALMANT., Disp. XVIII, n. 38.

² PETAV., lib. X, c. II, n. 8.

³ S. GREGOR. M., loc. cit.; P. L. LXXVII, 1091, ss.

⁴ Ita D. VACANT: *Il résulte de ces textes que les mêmes Pères à qui nous avons entendu reconnaître l'ignorance du Christ pour l'attribuer à ce qu'il y avait d'humain en lui, ont affirmé dans d'autres passages que l'âme du Christ était exempte de cette ignorance ... Ces Pères ont donc admis, d'une part, que*

Constat vero alios Patres, praesertim S. Basilium et S. Chrysostomum ex graecis, S. Hieronymum et S. Augustinum ex latinis, omnem ignorantiam a Christo abiecerisse; quae sententia, saltem a saeculo v, evasit in Ecclesia communis.

Testatur S. Basilius Christum novisse iudicii diem, sed reticuisse, quia nondum expediret hominibus revelare.¹ Similiter S. Chrysostomus, Eum qui fecit et saecula, non latere ultimum diem.² S. Hieronymus recolit Christum omnia scivisse, at non revelasse, quia id utile non fuisset, sicut post resurrectionem dixit: « Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate ».³ S. Augustinus animadvertisit Christum nosse quidem diem, sed ideo nescire quia non debuerit apostolis revealare.⁴

Itaque verba Christi: « De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater »,⁵ ad id tendebant, ut apostolorum retunderetur indiscreta curiositas, quippe qui de re supernaturali et abscondita interrogarent, de qua non deberent quaerere et sciscitari discipuli nec soleret magister respondere. Potuit merito dicere Christus se nescire, quatenus non habuerit a Patre officium manifestandi hominibus diem illum.

Hac ratione plene congruit ac satisfacit interpretatio, quam post S. Augustinum et D. Thomam tradunt communiter theologi.⁶

le Christ devait ignorer bien des choses par ses lumières purement naturelles; et d'autre part, qu'il les connaissait par ses lumières surnaturelles et divines, auxquelles participait sa sainte humanité (Dictionnaire théolog. cathol. v. « Agnètes », col. 590).

¹ S. BASIL., *Contra Eunom.*, lib. II; P. G., XXIX, 696.

² S. CHRYSOST., *Homil. LXXVII*, 1; P. G., LVIII, 703.

³ S. HIERON., *In Matth.*, XXIV, 36; P. L., XXVI, 188-189.

⁴ S. AUGUSTIN., *De Trinit.*, lib. I, c. XII; P. L., XLII, 837.

⁵ MARC. XIII, 32.

⁶ His adhaeret recentissime cl. P. LAGRANGE O. P., qui etiam omnem ignorantiam a Christo excludit (*Saint Marc*, p. 326-327).

**

Dignitas animae Christi postulat ut ipsi *ab initio* plene innotescant omnia, praesentia, praeterita et futura. Quilibet enim beatus in Verbo omnia illa intuetur quae ad ipsum spectant; ratio est quia beatitudine caelestis debet omne legitimum desiderium plene quietare et satiare, inter quae sane reponendum est desiderium cognoscendi omnia quae ad ipsum beatum attinent. Porro ad Christum hominem omnia spectant et quidem ab initio: nam vi unionis hypostaticae constitutus est omnium iudex, rex ac dominus, necnon caput hominum et angelorum; ac subinde, quatenus iudex debet omnia nosse de quibus profertur iudicium; quatenus rex, omnia quae sua sunt; quatenus caput, omnia quae ad membra referuntur. Ea porro sunt omnia quae in creatione unquam fiunt, scilicet praeterita, praesentia et futura.¹

Quum ergo fuerit, saltem a saeculo v, communis sententia de scientia universalis animae Christi, quum suppetant congruae rationes, quumque et praesertim id requirat dignitas Salvatoris nostri, iure potuit S. Officium certam declarare huiusmodi sententiam, et idcirco oppositum quorundam recentiorum placitum esse a catholicis scholis arcendum. Iamque scripserat Eminentissimus Billot: « Vana sunt argumenta quae novi exegetae ex historia evangelica depromunt contra veram et catholicam doctrinam de omniscientia animae Christi... Salva orthodoxia, ignorantia in Christo concedi non potest ».²

Quocirca Christus Dominus ratione perfectissimae scientiae est Doctor iustitiae, nobisque *Veritas*, sicut ratione *gratiae* consummatae est nobis *Via et Vita*.³

EDUARDUS HUGON, O. P.

¹ S. THOM., III, q. X, a. 2.

² BILLOT, *De Verbo Incarnato*, edit. V, p. 244, 251.

³ IOAN., XIV, 6.

EX CASTRIS

Latinus sermo diffidentes animos conciliat.

A clarissimo laboris nostri socio et magistro I. B. Francesia litteras, quae sequuntur, his diebus accepimus, easque magna cum animi oblectatione statim edimus:

Suavissimum Caput!

Haec quae scribam, nisi mea fuerit nimia superbia, tu diligenter legas admodum velim, et omnes quibus sunt studia litterarum in Italia commissa.

Nuperrime mihi litteras dedit dulcissimus amicus, qui politicorum litterarum doctor idemque sacerdos, post teterimum bellum paulo ante extinctum, missus est ad Italiae confinia mox assignata. Illic, inter asperos Carniolae montes profectus, cum militibus suis in parvulo quadam pago stationem posuit; ac praeter opinionem benigno vultu ab incolis undique acceptus, eos voluit italice feliciter alloqui, itemque amice salutare. Verum est admiratus, quod et suum sermonem nemo inteligeret, et voce ipsi aliquis ignota illi iterum atque iterum invitarent, ut ingredierentur. Sed nescientes quo vadant nostri, hostiles fallacias pertimescentes, in ipso pagi limine securissime morantur, opportunitatem exspectantes.

Tunc gratulantibus omnibus obvius fit sacerdos, loci curio, qui clangore tubarum commotus, ad milites advenientes, aedibus egressus, procedit, eosque ore vultuque honesto, et patria lingua sua hortatur, ut libenter domum hospitalem ingredi velint. Quum eos cunctantes adhuc cerneret, timens ne hospitis fidem dubitent, eumque inimicum autument, quo securius animi sui voluntatem significet, latino sermone sic eos confidenter compellit: « Eia, pueri, sic enim me decet vos primum alloqui; laeto vos animo esse iubeo, omnemque timorem deponere. Fratres nos omnes sumus, eademque lege redempti, atque ita noscum vos credere volo. Venite vos ergo

intro, quiescite tecum, atque domi apud nos secura sit vobis habitandi facultas ».

Tunc amicus, veluti e somnio suaviter revocatus, benevolentissimis verbis, omni animi trepidatione deposita, hilari vultu ei respondit: « Nos Itali sumus, qui post victoriam ad Plavim insigniter relatam, ad te amice venimus. De te, de incolis nulla sit prorsus inquietudo. Verbum tuum Romanum nobis securitatem donat, lumen menti adfert, animisque quietem. Omnia tibi fausta auspicamur! Quae enim praesens spiritus exsultatio! Sumus ergo fratres... et mei milites erunt erga dignitatem tuam in obsequium proni. Ut omnes incalae hilari sint animo volo, nec ullum habent ex nobis timorem; quaero atque obtestor ut eos meis verbis tutiores facias ».

Haec verba in omnium pectora securitatem gignunt, et patris morem sequuntur nos festivi recipiunt. Quo facto illic optime manserunt, et hospites hospitibus dulces inserviunt. Nostri domum curionis quotidie adeunt, ibique familiariter latine cum hospite conversantur, qui identidem dicit: « Post adventum vestrum, curiales mei meliorem animum in Italos receperunt, vosque pluris faciunt, quod tot munera per vos in hac rerum maxima perturbatione ab hominum auctoritate obtinuerunt ».

Quin imo nos Italos fortunatos praedicat, quod latinae linguae studio diutius meliusque incumbimus...

Oh! si sciret et apud nos latinam linguam, pestilenti veluti sidere afflatam, in cultam nimis procedere et negligentiores!

— Vos — interdum dicit — ita denuo totius orbis terrarum cives estis ut quoniam patres, armorum vi, domini fuerunt.

— Et ego — ait amicus — vobis adfirmo, ut olim Romanos *haud liberis servitutem, sed inservientibus libertatem nos adferre*. Quo facto etiam atque etiam plurimisque verbis mihi maximas gratias agunt.

Illi etiam, qui per Hungariam captivi deducti fuerunt et late per varias Germaniae regiones, antequam novi populi sermonem usurparunt, uno modo latina lingua salutem sibi primum invenerunt, mox auxilium et suis patrocinium.

Sic nos - scribit amicus - vel inter peregrinos et hostes meliusculus vivimus et tamquam cives undique aestimamur.

Quae quum ita res se se habeant, et ipsi supremi studiorum moderatores eo in praesentiarum contendere velim, ut rebus nostris unice inservientes, alacriori animo, propositis praemiis, pueri linguam latinam usurpent, adament atque colant; et agminis sint ductores qui ad sanctuarium tendunt. Ut meminisse iuvat, amicum nostrum se, suos et patriam hospitibus commendasse, hac aetate, per illam Romanorum linguam, quam a populis eradicata vellent!

Quo nomine et *Alma Roma*, tamquam magistra, alacris inter lectores incederet, neque iam uti hodie modestiori vultu de missaque veste. Neque inutilem eam, atque fastidiosa eius verba et inania, ut vetulæ, iactarent. Quam recte! Quam iuste nos curio ille salutat: « Vos ita denuo totius orbis terrarum cives estis! ».

Quid laudatur *Volapuk*, quid *Esperanto!* Romanum vetus eloquium sit una omnibus lingua! Vale.

DE IESU PUERO HISTORIAE

Iesu Natalis pluribus iam saeculis. Per omnes orbis celebratur populos, Novisque semper caris caeremoniis. Iuveni si dulcis, dulcis est res seni. Enim quis posset praeconio dicere Modo quod excitat simplex iste nuntius? Si multa passim narrat Evangelium, Illa quae nocte gessit Providentia, « Hymnum quem sancti cecinerunt angeli, Pastores humiles gerentes munera, Reges projectos doctos ab Ethiopia, Aurum, thus et myrrham ferentes alacres »; Refert sed plura fervida mortalium Mens, curiosa Salvatoris temporum. Nimis sed istis pauca fert historia, Ad res festinans magis quae nos pertinent;

Narrat inhaerent vero quae sed mordicus. Ingenium solet nam semper hominum Heröum frontem redimire floribus, Et coronare plurimis prodigiis. At, at, sunt multa scire quae percipiunt, Puer quae fecit suis in aequalibus, Annis cum matris cresceret industria. Hinc illa dicunt falsa quae Evangelia, Mira quae memorant de pueritia, Cumque adolescens cresceret discipulus In officina sancti Joseph Nazareth Iucundae, sane, dulces narratiunculae, Quae progrediuntur devoto pectore, Nec sunt nec possunt nunquam succedere; Tamen nostrae placent menti dulcedine. Hic est puerulus, natus nuperrime, Laetae suae matri divinus alloquens, Arcana proferens aeterni Numinis. Aegyptum petit? Parent in itinere Latrones pessimí, venenosi aspides.... Iesus sed iubet peregrinis parcere, Et omnes dociles cedunt imperio. Et palmam iubet in deserto crescere, Et ita ut dactylos posset colligere, Quam ipse in praemium tulit inter sidera. Lupi, leones, et panthrae rabidae Sunt mansueti, mittunt et ferociam.... Desiliunt rivi late in solitudine, Muti loquuntur, et leprosi e sordibus Suis mundantur, omnem praeter ordinem. Haec in Iacobi legis Evangelio, Iosephi et fabri disserunt historiae; Et multa passim iuvat quae non dicere, Levant si mentem, spiritus exhilarant, A veritate separantur affatim. Leguntur tamen, laevi cum dulcedine, Diebus festis proximis sollemnibus, Olim quae tenero collegit carmine Italus vates, et formosa arundine Iesum per sylvas resonare didicit, Eiusque nomen resonet per saecula.¹ Iesus sit vobis mihique semper salus!

I. B. FRANCESIA.

¹ Hic est Ceva, vir religiosus, qui longo carmine descripsit sancti Iesu pueritiam saeculo XVIII.

De C. Clinio Maecenate

Quum primum Maecenatis nomen dixeris, hominem intelligis, qui caput columnaque imperii romani suo tempore fuerit, sub cuius umbra, civitatem dominam orbis terrarum quodammodo latuisse, nutumque eius pro decretis Patrum, pro populi iussis fuisse. In hoc viro sane tanta vis animi ingenique fuit, ut quocumque loco natus esset, fortunam sibi facturus fuisse videatur. Nulla ars neque privatae neque publicae rei gerendae ei defuit.

De prima C. Clinii Maecenatis vita nihil omnino compertum est. Ipse vero, quemadmodum Horatius scripsit, atavis editus regibus, pueritiam, ut iuvenem honesto loco natum omnino addecet, in bonis artibus transegit, et primas in omnibus facile retulit. Ipse autem novus omnibus primum Graeciam, studiorum causa, profectus, praeter opinionem ita vixit, ut universis Atheniensibus merito esset carissimus.

Ibi Octavianum nactus, ea amicitia eum sibi devinxit, ut nunquam in posterum abrumpi pateretur. Quod quidem iuveni, qui in spem Iuliae gentis divinitus cresceret, maxima fortuna adscribitur. Ab hoc enim tempore, ita carus ei acceptusque apparuit, ut prae ceteris, in illis tam gravibus reipublicae difficultatibus, eius consilium maxime adprobaretur. Sic ei iter ad gloriam atque ad supremum reipublicae munus sicure munit. Ipso potissimum auctore, in M. T. Ciceronem Octavianus prudenter inflexit, cuius potestas atque praesidium mox adeo opportune fuerunt. Namque postquam Mutinae debellatum est, inter Octavianum atque Antonium foedus inuit, in reipublicae commodum.

Ad haec, quum ad arma esset ventum, eorum animos, per matrimonium iterum ad concordiam perduxit. Nec modo Octavianus adfuit consilio, sed et re maximam

ei opem contulit. Quapropter apud Mutinam, Perusiam, in Sicilia, ad Actium, maximo consilio ad eius latera restitit et opera auxit fovitque.

Ita se mirum in modum gessit in supremo romanae reipublicae tempore. Optimus enim ipse fuit in consiliis, quum Octavianus, cunctanti adhuc de imperio capessendo, ultima sibi pertimescenti, persuasum habuit, ut omnibus posthabitis periculis, animum ad rerum gubernacula sumenda audacter appelleret. Id ipse fortasse suaviter animo cogitabat iam antea Octavianus, opus tamen consilio ad agendum optabat. Haud sane pericula domi militiaeque eum latebant. At rerum peritissimus, animumque a cupiditatibus alienum exhibens, ingenio tempora sua optime cognovit, et rerum usu praestantissimus, quum, coniurationibus in Caesarem perspectis ob libertatem amissam, ipse, motus hostiles ita fovit, luditque in ipsis periculis, donec, singulari prorsus consilio, coniurantes oppressit, invicta fortitudine, hostium audaciam fregit, romanosque confirmavit, spem omnem in Caesare sitam esse.

Quo nomine unus Maecenas Romanos persuasit everso iuvenem succurrere saeculo, nedum poëtae augurium, sed firma omnium Romanorum voluntas, ut ipse Cicero laetabundus post redditum ad populum orabat: Caesaris incredibilis ac divina virtus. Ipso auctore, Roma in Caesarem respxit, ancipitem, malorum fidem praecavit, eique fortunas suas devovens, animi omnium in eius obsequium coaleverunt.

Post Actiacum bellum, quum pax in omni late orbe terrarum affulisset, Maecenas, in urbe gentium domina, summisque viris, omni eruditione ornatis, maxime affluent, omnibus fuisse auxilio videtur ad ingenium omni genere doctrinae excolendum. Aedes enim, quas regio cultu aedificandas curavit in Esquiliis, soli

amoenitate et omnibus monumentis iucundas, operibusque ampliatis, omnique cultu exornavit, ut liberiore caelo animam recrearet, elegantibus bonarum artium cultoribus, aperiri iussit. Ipsae speciem Urbis insigniter augebant.

Omnibus clarioribus viris poëtisque potissimum munifice prospexit, ut meritis esset praemium, impotens merituris incitamentum. Eas auro, picturis, opere muisivo, columnis marmoreis decoravit.

Adseritor romanae gloriae, Romanorum poëtarum praestantissimos ad se allexit; atque adeo imperium, quod fuerat ad perniciem comparatum, in rem gentis romanae necopinato convertit.

Et poësim est adgressus, et fortasse cum suis hospitibus et in carminibus condendis decertavit. Omnes unanimiter ac prudenter de hac re silent... Ingenio plus aequo indulxit et vitam adamavit... Ex hisce versibus eius animum novimus. Canit enim:

*Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.*

Velleius Paterculus de Maecenate scripsit: « Vir ubi res vigiliam exigere, sane exsommis, providens, atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti potest, otio ac mollitiis fluens ».

Romani principi et administro concordissimi pariter gratulabantur; Maecenatis praesertim ob spectatam fidem, singularem voluntatem, incredibile studium erga Caesarem, quem facientem et patientem fortia, aequum est Romanis imperitare.

Maecenas apud nos volventibus annis, idem sonat atque ingeniorum fautor poëtisque decus et praesidium... Antequam ergo hisce de Maecenate verbis finem impono, liceat mihi Romano Romanis dicenti, multos identidem apud nos reviviscere, qui donis, consiliis, auxilio illum veterem referant. Complura enim nobis palatia,

fontes, templa, picturae, sapientiae viorum munificentium testimonia laudibus eorum exornant, immortalitatem tuerunt; quo facto, nos Maecenatis antiqui virtutem admirati, timida propemodum voce, reverentiae causa atque timoris, vivo attamen grati animi sensu compulsi, eum cum Pontificibus Romanis componendum esse putavimus.

Ipsi enim civilis prudentiae laude inclaruerunt, ipsi populos muneribus exornarunt, ipsi denique rerum novarum cupidis patriae perniciem molientibus audacter obstiterunt!

Ac propterea Italos omnes, Pontifices Maximos, exemplar vitae caritatisque in patriam respicere iubebo.

SENIOR.

EX AMERICIS

Ignivomi montis Anezatelpc in Republicae Sti. Salvatoris recens eruptio.

Etsi dira calamitas, quae recens urbem Sti. Salvatoris evertit, minime cum Messanae terrae motibus, cumque Vesevi igniti montis memoria est comparanda; tamen istius commentarii nobilitas me lassedit, ut humanissimos eius lectores de tam acerbo funere certiores faciam; cuius nuntii propter belli fragorem penitus forfasse adhuc in tenebris iacuerunt.

Haec urbs a Pedro Alvarado, anno MDXXVIII condita est ad radicem montis, nunc ignei, qui nomen habuit apud antiquos Anezaltepec, nunc vero Sti. Salvatoris. Hic quum septentrionem inter et solis occasum situs 2671 cubitos in altum sese erigat, non solum fructuum varietate, verum etiam amoenitate et pulchritudine incolas eius regionis recreat.

Ducentis et quinquaginta et octo abhinc annis flamas hic mons evomuerat, tan-

tamque vim lapidum iaculatus erat, ut cuspis profundissime depressa, ingentem craterem efformarit; cuius in ima parte lacus amoenissimus, saxorum impendentium viriditatem referens, animos civium mirifice alliciebat ad relaxandum.

Civitas prope montem subsedit, quae, quum octoginta iam hominum millia complectatur, etiam nunc crescit in dies. Sedes Archiepiscopi atque supremae auctoritatis in ea est collocata. Sed illud maximum, quod, prout consentaneum est, ardenti amore prosequitur Servatorem, Iesum Christum. Id tum in aliis rebus exhibetur, tum vel maxime in pompa Corporis Domini celebranda.

Nihil enim pulchrius quam fides et religio nostri populi, quum Iesus ab omnibus triumpho deducitur.

Dies erat septimus Iunii; quumque cives sollemni ritu et acclamatione Dominum Regemque suum per vias et compita urbis deduxissent, quumque etiam tum essent plurimi in templis congregati, ut pias sacrorum ministrorum adhortationes audirent; ecce, prope horam septimam p. m., fremit atque concutitur solum: quo exterriti homines templa domosque relinquunt, et alio pree timore se conferunt. Duas totas horas ingentes illi terrae tremores animos pariter concusserunt, donec hora nona cum punctis quinque tanta fuit trepidatio, ut ne stare quisquam posset: aedificia corruunt, petrae erutae trahuntur; pulvis in sublime elatus vento ducitur; omnes timore capti clamant.

Sacra Eucharistia e templo Sti. Joseph foras ducta, ne fornice obrueretur, in medio campo publicae venerationi proponitur: ubi coacervatus populus suam fidem et religionem et pietatem luculentissime patetfecit; tum ad sacerdotes, qui ibi erant congregati, accedens, ut peccatorum confessione sese ad mortem accingeret, tum ad sacram Hostiam sese provolvens, ut Servatoris opem imploraret.

In hoc medio strepitu ingentem nubem, tamquam columnam eminentem e summo monte, conspexerunt omnes. Quae, illuminata radiis lunae iam senescentis et positae e regione, maxime animos terrebat; eo magis formidolosa, quod cum fulminibus rubre micantibus, tum etiam crebro tonitru atque fragore, mortem hominibus minitaretur.

Initio, quid illud esset nemo suspicabatur; mox autem imber lapideus, terrae hiatus, flumina ignita e summo monte in vallem labentia, multorum denique civium interitus, veram tantae stragis originem patefecerunt. Divinae tamen providentiae est adscribendum quod dirae calamitati modum imposuit.

Iam tum aedificiorum eversio, propter vehementissimam terrae trepidationem, tanta fuerat, ut quingenties centena millia scutorum aureorum interiissent; perierunt etiam quadraginta circiter homines aedificiorum mole oppressi. Si ignita etiam flumina et saxa in urbem essent delata, ingens hominum internecio esset consequuta. Deus autem erat iam paucis his victimis contentus.

Salus civium in eo fuit, quod ignis non a summa cuspide aut e regione civitatis, sed a tergo montis erupit; ita ut eius flumina non urbem, sed fundos et pagos, qui citra montem iacebant, obruerent.

Finito portento, complures homines studio novitatis adducti in summum montem contenderunt, novasque ignium fauces et lacum fumo et arena exundantem, explorarunt.

Inter omnes viros sapientes, qui tum in nostra republica praeclarum sibi nomen compararunt, eminuit Alfonsus Bellosa, qui de his portentis, de eorum causis, de futurorum denique motuum praeensione, disseruit.¹

¹ Hoc eius opus est: « Fenómenos geológicos de El Salvador ».

Non defuit in tanta strage caritas multorum, qui, sin minus largo copiosoque praesidio, magna certe commiseratione miseros cives prosequuti sunt. Hos omnes pari Deus mercede remunerabitur in caelis, ut enixe ab eius liberalitate exoramus.

JOSEPH N. GUARDADO, S. I.

PRO IUNIORIBUS

De typographiae sive artis impressoriae inventione

Anno Domini MCCCCXL et post, fuit Moguntiae ad Rhenum, quae tunc adhuc civitas imperialis erat, civis quidam ex honesta familia prognatus, Ioannes Faustus nomine. Hic Ioannes Faustus, pro eo, quo artes liberales et viros doctos prosequebatur, studio, quem considerasset, penuria librorum, et magnis, qui ad eos describendos requirebantur, sumptibus, multa ingenia a studiis abstracti atque avocari, de modo ac ratione cogitare coepit, qua minori labore ac sumptu libri et boni auctores divulgari ac comparari possent. Postquam in eam rem sedulo intentus fuisset, initio hanc viam ope divina reperit, ut tabulam abecedariam characteribus eminentibus ligno incideret, et ad impressionem formaret, quos etiam atramento impressit. Sed quia atramentum fluebat et characteres confundebat, re diu animo volutata, crassam et nigrum materiam adinvenit, et tabulas illas minoribus praelis subiicere, librosque hoc pacto excudere coepit. Quod opus, quia antehac incognitum erat, et tabulae illae vili pretio comparari poterant, ab omnibus praedicabatur. Unde Faustus occasionem arripuit non solum *Donatum*¹

eadem ratione integro ligno incidendi et excudendi, sed etiam in eam curam et cogitationem graviter incumbendi, quomodo artem, quam invenerat, magis ac magis excolere et elimare posset; praesertim quia integras columnas seu formas, ut hodie loquuntur, lignos incidere nimis molestum ac laboriosum erat. Quapropter hoc compendium excogitavit, ut priores asseres dissecaret, probos characteres retineret, et detritorum loco alios peculiares formaret; atque ita compositionem seu coagmentationem characterum exorsus est; tametsi multum temporis et laboris in singulis characteribus seorsum formandis impendendum videret.

Ceterum in exercenda hac nova arte operis quibusdam usus est Faustus, in quibus fuit Petrus Schaeffer Gernsheimensis, qui quum heri sui institutum percepisset, magno illius artis studio incensus est; et quia ingenio valebat, animum ad illam amplificandam adiecit, ac, singulari Dei instinctu, rationem invenit, qua characteres, matrici, ut vocant, incidentur, et ex ea funderentur. Alphabeto hoc modo inciso, characteres inde fusos Fausto hero suo ostendit; quibus ille usque adeo exhilaratus est, ut ei protinus filiam unicam desponderet, ac paulo post uxorem daret. Quamvis autem etiam in hoc genere characterum aliqua difficultas suborta esset, propterea quod materia mollior esset, quam ut pressurae resistere posset; tamen mox eiusmodi mixtura inventa fuit, quae vim praeli aliquandiu sustinere potuit.

Rebus eo provectis, sacer et gener domesticos suos iure iurando adegerunt, ut novum istud inventum summo silentio celarent, et asseres ac primordia artis ipsosque characteres ligneos funiculo involverunt atque asservarunt, quae amicis, quando libuit, ostenderunt.

Eodem tempore Moguntiae commorbatur Ioannes Guttenbergius, honestis parentibus natus, qui proxime Fausti aedes

habitabat. Hic quum animadvertisset, insigiem hanc artem typographicam non solum omnium ore passim celebrari, sed etiam admodum lucrosam esse, familiaritatem cum Fausto contraxit, et quia opulentus erat, pecuniam ei ad sumptus necessarios obtulit. Quod Fausto minime ingratum fuit, quandoquidem comperiebat, sumptus, quos in eam artem faciebat, quotidie crescere, ut tunc opus chartae pergamenae imprimendum pree manibus habebat. Quapropter cum Guttenbergio convenit et pactus est, ut quidquid in illud opus impenderetur, communis utriusque lucro vel damno cederet. Quoniam vero Faustus plus insumeret, quam Guttenbergius necessitatem postulasse arbitrabatur, hic dimidiā suam partem exsolvare tractavit. Qua ex re quum lis exorta esset, alter alterum Moguntiae in ius vocavit; ubi, partibus auditis, pronunciatum fuit: si Ioannes Faustus interposito iuramento affirmare posset, omnem pecuniam, quam mutuam sumpsisset, in commune opus erogatam, non autem in proprios ipsius usus conversam fuisse, Guttenbergium ad solvendum obligatum esse. Cui sententiae Faustus paruit, sicut ex archetypo Instrumenti, quod etiam nunc superest, et anno MCCCCLV, d. vi Novembris a Ioanne Ulrico Helmaspergers Notario ea de re confectum fuit, liquido demonstrari potest. Unde evidenter apparet, Guttenbergium nequam artis typographicae inventorem et primum auctorem esse, sed aliquot annis postquam ea inventa fuisse, a Ioanne Fausto in consortium adscitum, pecuniam ei suppeditasse.

Quum igitur Guttenbergius ad sumptus refundendos damnatus fuisse, et ex eo si multates inter ipsum et Faustum magis exarsissent, ille autem interea artem vidisset, et didicisset, siquidem inter tot operas, quae ad eam exercendam requiruntur, fieri non poterat, ut ea diutius occultaretur, Moguntia Argentinam se contulit, quo

aliquot ex operis secum attraxit. Post illud discidium alii quoque, qui apud Faustum artem illam didicerant, eum deseruerunt, et Francofurtum atque in alia loca se receperunt, quum praesertim anno MCCCCLXII Moguntia capta, et pristina sua libertate privata fuisse; quo factum est, ut haec praeclera ars omnibus innotesceret, et publici usus fieret.

Haec est vera historia de primis initiosis et natalibus typographiae ex vetustis documentis, quae adhuc exstant, petita; quae ex multis praeterea antiquis libris, illo tempore excusis, quorum non pauci passim reperiuntur, confirmari potest. Nam ipse Faustus et minister eius Petrus Schaeffer Gernsheimensis ad calcem librorum a se tunc excusorum palam et nemine contradicente professi sunt, se Ioannem Faustum artis typographiae inventorem, et se Petrum Schaefferum eius adiutorem fuisse; sicut liquet ex iis, quae sequuntur; qualia permulta adhuc proferri possunt.

In bibliotheca Electorali Palatina extiterunt Biblia, e quibus sequentia, in fine apposita, descripta sunt: « Praesens rationalis divinorum Codex officiorum, venustate capitalium decoratus, rubricationibusque distinctus, artificiosa adinventione imprimendi ac characterizandi absque calamis exaratione effigiatus, et ad Eusebiū Dei industriam est consummatus per Iohān. Fust, civem Moguntinum, et Petrum Gernsheim clericum¹ dioecesis eiusdem, Anno Domini 1459 sexto die Octobris ».

H. SALMUTH.

¹ Verbum hoc non hodierno sensu intelligendum esse putamus, sed quo tum habebat, eius, scilicet, qui litteras calleret; ut indoctus dicebatur laicus; vel ex graeco litterali sensu: « sorte electi ut munere hoc fungeretur ».

Contemplare velut in speculo tuas actiones, ut honestas quidem magis ornes, turpes vero abscondas.

BIANS, apud Stob., Ser. XXII.

¹ Donatus, uti inter omnes constat, grammaticam Latinae linguae scripsit.

DE MUSCIS

Ad HENNIMUM.

Litterae tuae, iracundia non muscis plenissimae, in muscas improbum in modum invehunt, muscas taediosas plectunt; uno verbo me ad risum provocant. Adeo enim annosus de muscis queritaris, ut de tua veteris prudentiae fama maxime dubitaverim. Cave ne peius tibi in posterum accidat! At ni tibi sim molestus, meam secutus indolem, arrepta occasione, pauca ridendo dicam. Quis vetat? At, at, dum alacer de muscis tibi scribere adgredior, molestus hic stimulator ut me suis gratis praeoccupet, «calvi momordit nudatum caput» quemadmodum Phaedrus lepide narrat, et ego male mulctatus affirmo...

Narrant veteres Dianam, olim tenerime amasse puerulum centum praeditum virtutibus et perquam venustate pulcherrimum. Eam' vero forte Maiina quaedam praecucurrit, quae musices perita dulciter canebat, et mirum in modum pueri benevolentiam est in primis adepta. Hinc irae! Quod de Iunone irata Vergilius describit, vix equidem cum Diana furore longe componere potes. Quid enim possit foemina furens, optime novisti. «Mene incepto desistere victam?». Minime gentium! Et importunam aemulam subito in muscam convertit. Tantae animis caelestibus irae!

Ab illo tempore, musca, in peius conversa, at semper morem suum sequuta, puerorum praesertim somnum in primis deturbat, eorumque teneram pellem morbidamque, in Eudemonis memoriam (hoc enim nomine deamatus puer vocabatur), assiduis atque improbis morsibus sollicitat et plus aequo molestat. Et hoc in amoris signum!

Quid veteres dicerent, si medicorum recentiorum placita scirent, quae muscas crudeliter insimulant pestem ferentes et morbos?

Atque adeo ut muscas molestiores expellerent, quae nimis homines murmur exstant aculeoque exagitant, ad sacrificia

confugere fas esse putarunt. Arcades enim ipsi, quum rem sacram Minervae facerent, ut muscarum fastidium vitarent, Miagram quemdam loci genium invocabant. Quid amplius addam? Cyrenenses, quos cives nunc nostros superbe appellare possumus, ad ipsum, quem Acorum vocabant, supplices adibant.

Elei sacrificiis thuribusque muscas e domibus pellebant; quod nisi fecissent, ipsae innumerae ac veluti agmine conservissimo coniunctae, ut de rapacibus Harpiis Vergilius memorat, omnia saevum in modum miscuerint ac coinquinaverint. Et propterea, cura ut «Panchaeis adolescenti ignibus aerae, ut, aere sereno, fugiant toto aethere nimbi».

Tu, qui Romanus es, Romanamque historiam mente et animo integrum retines, nosti optime quod narrat Plinius, quum olim in Iudis Olympicis spectatores eas perperam averruncari nitentes, in tauri sacrificio faciendo, omnes illico aufugisse... At tu subrides? Quid mirum, ais, si ipsae sanguine copiosiore adlectae, universae in bovem confossum, undique irruentes circumvolant, hominesque relinquunt?

Hebraei e contra infaustum sibi omen praesagiebant, quum muscas a Templo adesse cernerent.

Quo facto, nobis haec facile conjectura assequi posse putamus, alias alio modo se se molestis animantibus liberare consueuisse. Apud Persas in sculptis appetit equi cauda palo infixa ad muscas arcendas... Martialis memorat myrtum Romanos adhibuisse, quam servus dato tempore circa dominum suum agitare solebat.

At tu nunc optime atque opportunius menes, Romanos nostros, quum epulis luxuriosius indulgere vellent atque liberius, ut muscae a mensis omnino recederent, myrtum ubicunque serere, myrtoque omnia circumdare. Hinc Horatius:

... *Tum violaria, et
Myrtus, et omnis copia narium
Spargent olivetis odorem.*

Si vero myrtum, vatibus olim gratissimum munus, in muscarum potissimum

perniciem difficile admodum tibi procurare potes, neque ad montes per aestatem per regre abire, hunc mecum levissimum laborem tolera, vel saltem alapis identidem eas frustra repelle.

Ne tibi sim denique et ego ipsis muscis molestior improboque culice, extemplo epistolae finem impono, tibique vel e limine valedicens omnia fausta libentissime precor. Vale.

SUBALPINUS.

ANNALES

Post Europaeum bellum.

Dum, iuxta indutiarum pactiones, consociatae Europae et Septemtrionalis Americae gentes, Austro-Hungarici et Germanici quondam Imperii loca in tutelam occupant, civiles motus in interioribus hisce regionibus fiunt, ita ut in ratione nondum ponni valeat quorsum res cessurae illic sint. Simultates enim Borussiam inter et Bavariam, de quibus mentionem in superiori recensione nostra fecimus, perdurant adhuc; perdurat inter Austriacos dissensio utrum incolae ex Germanica stirpe orti, Germanicae futurae civitati accedant, an rem sui iuris publicam constituant; dumque in Germania, ubi iam omnes antiqui foederis gentes a regibus ducibusque suis exsolutae liberos sese edixerunt, regimen popolare instituitur, praeside Ebert, ex socialistarum parte, hinc reactionis motus nunciantur, illinc novarum seditionum ex factione illa, quae Russis *bolshevikis* favens, Spartaci nomen assumpsit. Ob quem rerum statum Poloni, sorte sua utentes, ad Posnaniam sibi redimendam procedere decreverunt, iamque haud procul Posen ab urbe esse feruntur.

Nescimus profecto quomodo exoptata ab omnibus pax componi valeat; a quibus enim, ex Teutonum parte, sanciri poterit?

Cuius quidem pacis generales conditiones in examen vocari coepae sunt Lon-

dini ab Anglis, Gallis, Italiam aliarumque consociatarum nationum administris, atque persequentur Parisiis cum Wilsono, Foederatarum Civitatum Septemtrionalis Americae Praeside. Qui ex Americis profectus, in Galliam appulit die xiv mens. Decembris, quo Italiae rex cum filio, Pedemontis principe, die xix eum consequutus est; deinde in Angliam se contulit, unde Romanum veniet, ubi Summum Pontificem inviset.

* *

Hispanici motus.

Lutetiam quoque Parisiorum petit Romanones, Hispanici gubernii praeses, et ille, dictitant, de futuro Europae statu cum claris illis viris disceptaturus; de rebus scilicet, quae maxime civitatem suam attingerent. Ibi his diebus crebrios motus facti sunt in Catalaunia provincia, qui sua iura suasque leges iam diu affectat.

* *

Lusitaniae reipublicae praeses nefarie interemptus.

In proxima Lusitania die xiii mens. Decembris Sidonius Paes, illius reipublicae praeses, est nefarie interemptus, ex coniuratione, tradunt, a popularium massonistarumque factione inita. In eius locum suffectus est Canto y Castro, praetor navalis.

* *

Inter Chilenam et Peruvianam civitatem discrimen.

Quaestio, quae inter Chilenam Peruviamque civitatem iam ab a. MDCCCLXXXIII agitat, quum scilicet Chilense gubernium Tacnam et Aricam provincias occupavit, ita exacerbata recens est, ut timor fuerit ne ad arma esset processura. Amica tamen Wilsoni intercessio in spem inducit fore ut discrimen tandem aliquando cum mutua partium satisfactione supereretur.

Kalendis Ianuariis MCMXIX.

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Quum fasciculum superioris mensis accepi, eumque per volutavi, nec opinata quidem ictus re fui: nescio enim moderator an hypotheta capitulum meum integrum, fortasse ob spati angustias, deleverat, quocum bona eius, quisquis fuerit, pace, hodie identidem incipiam; eritque novi anni omen et augurium. **Mensarum enim ordinem** is attingebat, quem, constituta Nationum Societate, *Irenem cum Agape* paraturas invocabam ab omnium gentium legatis festive et libenter in Palatino consumendum, quemadmodum abhinc annos octo factum est, quum conventum alterum antiquitatum cultorum Roma hospitio exceptit. Tum illae deae convivis haec porrexerunt et miscere:

Iuscum more imperatorio

*Bracteas farinae subactae cum extis pullo-
rum*

*Segmenta bovis aromatibus conferta et
oleribus ornata*

Ius coagulatum in musivo opere carnium

Patinam pisorum

Pullos assos cum acetariis

*Lac cum ovis gelu concretum more Siculo
Caseum et mala*

Vina Hetrusca, Latina, Gallica

Potionem Arabicam.

Atque, ut illo tempore, deae concludebant:

*Sic Romae, sic Cárthagine,
Sic ubique semper feliciter!*

ita nostris diebus inde fiat novae aetatis initium, iisdem sensibus in aevum prosequendae.

**

Neque dubium est quin spes mihi arrideat fore ut aevum ipsum cum singulis lectoribus meis humanissimis ego sim iuvenili habitu plene comitaturus. Quod si cani capilli vel alopecia importune nos ad senectutem pervenisse indigitare audeant, equis nos vetue-

rit ad fucos configere? **Fuci enim** nedum nostrorum temporum, sed antiquae ipsius aetatis hominum quoque fuere. Nonne Tibulli illud meministis:

*Tum studium formae est, coma tum mutatur ut annos
Dissimulet viridi cortice tecta nucis?*

Sed non una comam tingebant viridi cortice nucis; *Goc* etiam quoddam faciebant, ut nigra fieret; cui versum illum addictum sciimus:

Tollere tunc cura est albos a stirpe capillos.

Alopeciam autem, idest capillorum decus sionem, per *nucarinum unguentum* medebantur, et ipsum ex nuce confectum; praeterea per *carynum* e nuce iuglante, et *cupressinum* et *myrteum oleum*. Quae quidem remedia antiqua, credo, et nova sunt, iisque in emendis qui formae – (o vanitas vanitatum!) – studiosus est, nimis saepe pecuniae adhuc insumit, quam maiore utilitate alias impendere posset, aut saltem parcere, quo facilius paria faceret, ne *pararis* quidem adhibitis.

**

Pararii? Quinam Carneades isti?...

Ad rem plane intelligendam oportet ad **rationum libros**, idest **tabulas accepti et expensi** te conferas; in quibus qui pares paginas habuerit, nempe tantum accepit quantum expendit, *paria* quidem *facere* dicebatur. Quum autem non infrequens esset, ut qui nomina plurium per tabulas accepti et expensi faciebant, utrinque testes adhiberent, *actuarios* (cum Plauto dicam) interponebant. Hi homines vulgo *pararii* nuncupabantur, qui tabulas, quibus sollemnia interrogationis et responsionis continerentur, certis verbis et certis quibusdam formulis transcribebant, adiectis loco, die et consule. Quum autem abunde creditori esset satisfactum, *pararii* dicebatur obligatio. Et solebat in *parationibus* huiusmodi pactum adscribi: ex hoc contractu nullam inter se controversiam esse. Inde *paratoris* ei nomen, qui huiusmodi rationes administraret.

* * *

Iamvero, quum et computatoris officium hodie casu assumpsisse videor, liceat mihi et nonnulla de hoc argumento addere, venia petita a collegis, qui in nostro commentario et de vitae communibus agunt, et nova cum veteribus comparant, si eorum campum invasi.

Rationum itaque libris **adversaria** opponuntur, quae tumulturiae sunt tabulae, aut *jibelli*, sive commentarioli et chartae; quaeque idcirco summatim conscribuntur, ne res memoria excidant, sed ut postea ex his iustae tabulae et aeternae fiant. Numne **adversaria** ex eo dicta sunt, quod animum et memoriam nostram advertant? Quo utique sensu et **adversaria** sibi parent socii illi nostri, precor, quos ab administratore nostro audio nimiam moram interponere ad *Almae Romae* annum consociationis pretium solvendum. Quinimo haec ipsa notula mea fiat sociis omnibus ad rem *adversarium salutare!*...

**

I o c i

Tuccius a patre recens ductus est ad matronam quandam visendam vetulam, at pigmentis sese perdentem. Cui ex improviso noster:

— Quonam anno in hunc mundum venisti, domina?

Pater torvis oculis imprudenti filio rusticitatem obiicere nititur, dum Matrona:

— Anno septuagesimo secundo, bellule.

Atque Tuccius intrepide:

— Ante, an post Christum natum?

Tuccius idem, amico cuidam:

— Oh! quod somnium singulare hac nocte somniavi!

— Scilicet?

— Somniabam me exsommum esse; deinde somno sum excussus, ac vidi me esse dormientem!

A enigmata

I

(vulgo *Rebus*)

FAUSTA fausta *fausta* **FAUSTA**

II

Parte priore rogare soles; sed *parte secunda*

Monstrare aut lentam carpere segnitiem.

Utraque mixta quid est? Divi suprema vo-
[luntas,

Quae regit et terras, et regit astra poli.

(Aenigmata in fasciculo XII anni V proposita his respondent: 1] *Matrona*; 2] *Eva - Ave*).

IOSFOR.

LIBRI DONO ACCEPTI

A. FAVERSANI. *Luciolus*, Carmen.

Can. FRANCISCI QUATTRONII, Rhegini Iuliensis. *Tomarmórimon*. Carmen. – Rhegii Iulii ex off. Francisci Morello, MDCCCCXVIII.

SAINT-QUAY. *Esto vir!* – Consigli ai giovani. Versione del sac. Giulio Albera della Pia Società Salesiana. – Augustae Taurinorum, ex schola typogr. Salesiana. – Ven. lib. 3,50.

Presso il Tabernacolo. Letture per visite al SS. Sacramento per un Padre Sacramentino. Prima versione di D. AUGUSTO AMOSSI salesiano. – Indidem. – Ven. lib. 1,50.

PIETRO SPINA S. I. *Viaggi ed Avvenimenti* (Poesie). – Romae ex off. Fratrum Calmazzi.

GIOVANNI FALDELLA. *La « Madre Idea »*. Mediolani, ex off. Antonini et Soc.

Nullius ope indigere se putat, qui alteri suam negat.

LACTANCIUS, lib. VI.

AD "CARCEREM,,

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

AMBR. Actum est! Fugerunt omnes uno tempore!

AMBR. Ais quod?

AMBR. Quod dixi!

EUSEB. Quid vidisti? Quomodo?

RECT. Erant ad latus Sacerdotis optimi,

Ut vidi recte nostro telescopio,

Et omnes eius effugerunt latere....

RECT. Verum narras? Quod fulmen in meum caput!

AMBR. Et ipse sanctus hic sacerdos optimus
Sciens quod munus sibi grave immittit [neat,

Eos labantes trepidus prosequitur,
Et hunc moratur, illum tenax occupat;
Suis at omnes effugient manibus.

RECT. Ehus, tu, Eusebi, semper mi fidissime,
In hisce dubiis ne me linquas velim....
Da robur validum, confer consilium.
Meae spei fortunae vanescit affatim....
Vade, Eusebi, ad turrim, diligentius
Discerne cuncta, fer melius nuncium.

EUSEB. Vado, mi Rector, spiritus recipias
Rogo.... Sperare iubet nunc potissimum

Et ille venit qui sacerdos praedicans....
Perversa in bonum verterit divinitus [tus!...¹

SCENA V.

RECTOR, AMBROSIUS et, suo tempore,
EUSEBII vox.

RECT. Placet quod dixit bonus mihi Eusebius.
Quot mira fecit cunctis et novissima!
Solent ut omnes aquarum guttulae
Per unum rivum ad aequor raptim
curre, Ut ipse vult volunt, nemo recalcat;

¹ Exit.

Nunc currunt, sistunt, nunc procedunt [iterum,

Sequuntur illius semper sententiam.

Mox, mox videbo novum miraculum:

Exire liberos, redire in carcerem?

Erit pol maximum portentum saeculi!¹

Sed audire longe rumorem videor....

Quid est? Vox est Eusebii....

EUSEB.² Rector, veni!
Res quae sententiam cunctorum su-

[perat....

RECT. Quid est? Eamus.... Mentis quae tur- [batio!

Ipsa expectatio dolor est maximus....³

SCENA VI.

AMBROSIUS solus.

Quae rerum novitas, rerum quae varietas!

Hoc primo mane summa cum laetitia

Exsurgunt alacres ad tintinnabulum,

Et omnes illico suis de lectulis.

Euntque cuncti bini, bini et taciti

Eos ut potius monachos dixeris.

Quam pol mutati prodigo maximo!

De altari cuncti divam litant hostiam,

In caelis angeli quam trementes colunt.

Hos et minister....

SCENA VII.

EUSEBIUS, RECTOR et AMBROSIUS.

EUSEB.⁴ Dicis quid tecum, stupide?

AMBR. Ehus tu! decebris usus qua licentia,
Mihi des ut nomen non ordinarium?

¹ Moratur.

² Longe clamat.

³ Exit.

⁴ Introgrediens.

JOSEPHUS Dr. FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.